



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv Doctoribvs Reseratvs**

**Escobar y Mendoza, Antonio de**

**Lvgdvni, 1659**

III. De Luxuria.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41066**

284 *Moralis Theologia Tract. II. Peccata,*  
ad acquirenda bona. Ex graui fallacia grauis culpa resultat;  
leuis autem de leui deceptione.

24. *Periurium quid?* Est addere mendacio iuramentum.  
Nunquam non periurium grauissimum delictum est, de quo  
supra.

25. *Fraudem expone.* Est reipsa aliquid per dolum auferre.  
Si vendidit quis pluris iusto pretio, aut minoris emerit, inter-  
ueniente fraude, grauius aut leuius delinquit iuxta materiae  
quantitatem: si vendidit vnā rem pro alia, aut ignorans  
vendente accepit: si nummum adulterinum alteri obrulit,  
etiam si ipsemet ab alio bona fide recepisset, fraus proculdubio  
grauis aut leuis iuxta materiam reputatur.

26. *Quid est Proditio?* Alium ob pecuniam in discrimen  
adducere, siue aliis laedendum offerre, vel iniuste accusare.  
Vbi equidem similiter grauis aut leuis culpa materiae sequi-  
tur grauitatem, aut leuitatem.

27. *Quidnam denique cordis obduratio?* Durum sese ob pec-  
uniaem amorem erga egenos ostendere. Num pauperibus  
compassus fueris? Num eos obiurgaueris? Num ab aliis dure  
exegeris debita, cum non essent soluendo? Alibi de elec-  
mosynae obligatione periculum fiet.

28. *Quodnam vitium auaritia opponitur?* Prodigalitas, cuius  
affectu assolet quis bona inutiliter lusibus, ac compota-  
tionibus consumere, parentum diuitias male expendere.

### CAPVT III.

#### De Luxuria.

§.1.  
Luxu-  
ria.

29. *Quidnam Luxuria nomen significat?* Proprie lauti-  
tiam conuiuiorum, & in vestibus mollitudinem:  
seu herbatum vbertatem, feracitatemque arborum ex gleba,  
terrarumque pinguedine: siue animantium lasciuam, qua  
tripudiant pecudes propter alimenti abundantiam. In praesenti  
sumitur pro appetitu, seu actu libidinosae voluptatis  
humanae.

§.2.  
Filia  
Luxuria  
otio.

30. *Quotnam Luxuriae filiae?* Octo, scilicet, Caecitas men-  
tis, Praecipitatio, Inconsideratio, Inconstancia, Amor sui,  
Odium Dei, Amor huius mundi, & Horror futuri seculi.

31. *De mentis caecitate differe.* Caecitas mentis adest, cum  
quis adeo addictus est turpitudini, vt mens de caelestibus  
minime cogitet.

32. Prati



*Examen II. De Peccatis Capitalibus. 285*

32. *Præcipitatio quid? Ex eadem causa homo sine consilio operatur media non conuenientia adhibens.*

33. *Inconsideratio quid est? In modo delinquere inconsideratè, agens quod statum, aut personam minimè deceat.*

34. *Inconstancia quid? Est in bono proposito ex eodem affectu voluptatum non persistere: aut nunc promittere emendationem, & rursus mox cadere, aut ex levitate in voluptatem velociter currere.*

35. *Amor sui describe: Ille se amat, qui ob corporis voluptates se ipsum finem actionum suarum, & studiorum proponit, non Deum.*

36. *Odium Dei quid? Lasciuus assolet à rebus diuinis abhorrere: imò à Deo, quia carnales prohibet, & punit voluptates.*

37. *De presentis vita affectu? Amor deliciarum ita animum solet afficere, vt quandòque quis gloriæ renunciet, si frui ei præsentis seculo daretur.*

38. *Quid denique de futuri seculi horrore? Voluptati addictus nimis mortem timet, rarò de ipsa lubet cogitare, sæpè malis artibus ad vitæ propagationem vtitur, potiùsque in medicina quàm in Deo fiduciam constituit.*

39. *Num octo prædicti affectus lethalia crimina? Profectò ex his ad intellectum pertinent quatuor actus. Intellectus enim fit ineptus ad considerationem finis boni, dum rapitur ad cogitanda quæ carnis faciunt delectationem; & hæc est cæcitas mentis. Rursus fit ineptus ad consultandum de mediis ad finem bonum, & est Præcipitatio, qua homo non curat vt in bonis consilio, ex mentis occupatione in carnalibus. Cæterùm remittitur iudicium, dum non curat, quale sit, quod faciat, & est inconsideratio. Fit hinc debilissimus homo ad exequenda bona apprehensa, & cognita, nec vires habent in eo proposita bona, & est inconstancia. Quæ quidè contra quatuor prudentiæ actus militare videntur. Tunc igitur actus hi sunt mortales, quando finis vltimus in creatura ponitur: aut quando ex inconsideratione, ac præcipitatione aliquod diuinum mandatum prætermittitur. Quatuor reliqui actus ad voluntatem attinent. Rapitur hæc ad volendum quod sensus amat, & finis bonus peruertitur, vnde amor sui exurgit, homine amante, quæ sibi sunt delectabilia; & consequenter odiù Dei ingeneratur, id est, quædam auersio animi à Deo, quæ si perueniat ad plenum consensum, vt odio Deus habeatur, est peccatum grauissimum. Rursus rapitur voluntas erga media, vt ea velit, quæ ad carnis delectationem ordinantur, in surgente*



286 *Moralis Theologiae Tract. II. Peccata,*  
insurgente hinc amore seculi huius, & horrore futuri. Hi  
quidem actus, si plenus consensus voluntatis, mortalia sunt;  
si verò imperfecti quidam actus, & indeliberati, venialia  
commissa.

## CAPVT IV.

### *De Ira.*

§. 1.  
*Ira.*

40. **Q**uid est *Ira*? Appetitus vindictæ inordinatus. Im-  
propriè autem appellatur *Ira* passio appetitus ira-  
scibilis, quæ accedit ex bilis excitatione, & furore contra  
proximum, quæ quidem solum in vociferationem absque  
alicuius damni voluntate prorumpit.

41. *Quàm graue crimen Ira propriè sumpta?* Ex genere suo  
mortale, cum inordinatio appetitus circa grauem vindictam  
sumendam effrænatur. At hæc inordinatio grauis erit, quan-  
do appetimus immeritum grauius punire: seu punire eum  
super quem non habemus auctoritatem: seu punire aliquem  
non ex iustitiæ zelo, sed ex vindicta, aut graui odio, & de-  
siderio damnum inferendi. Ratio est, quia tunc Deo grauis  
irrogatur iniuria clamanti: *Mihi vindicta*, & proximo gra-  
ue damnum infertur.

42. *Impropriè autem sumpta quantum est crimen?* Nullam  
quidem secundum se; quia est quædam passio naturalis na-  
turali impotentia exorta ex naturali obiecto, qua in re ani-  
mantia referimus.

§. 2.  
*Maledi-  
ctiones.*

43. *Quando Ira impropriè sumpta prorumpit in Maledictio-  
nes, quòdnam peccatum est?* Si maledictiones ore tenus pro-  
ferantur absque desiderio executionis in proximo, in quem  
iactitantur, neque respectu personarum sint grauius con-  
tumeliosæ: illa ira impropria solum est peccatum veniale.  
Qui tamen ex animo deliberato alium, vel se ipsum maledi-  
cit, imprecando sibi, aut alteri graue malum sub ratione ma-  
li, cum desiderio, quod eueniat, grauius peccat. Dixi sub ra-  
tione mali, quia imprecari malum sub ratione boni, hoc est,  
ut inde bonum exoriat, non est peccatum. v. gr. imprecari  
ægritudinem corporis peccatori, pro animi salute recuperan-  
da. Porro si malum, quod imprecaris, sit leue, etiam si toto  
animi affectu desideres, venialis culpa est.

44. *Indica, vndenam dignoscemus, num animo euentus gra-  
uis maledictio sit iactata?* Iuxta animorum specialem con-  
textum